

DISPUTATIO JURIDICA
De
HEREDITATIBUS
QUAE AB INTESTA-
TO DEFERVNTVR.

Quam
DIVINO AUXILIANTE NUMINE

*Consensu Amplissimi, & Consultissimi
ICtorum Ordinis*

In celeberrima ad Albim Academia
SUB PRÆSIDIO

VIRI
Clarissimi & Consultissimi

DN. CHRISTIANI Krembergi /
J. U. D. Juridicæ Facultatis Adsefforis & Judicii
Electoralis Curia Advocati dignissimi, Præce-
ptoris ac Promotoris sui perpetim
colendi,

Publico examini subijcit
JOHANNES Metke Berolinô-March.

Ad diem 18. Martij
In auditorio ICtorum.

WITTEBERGÆ,
Ex Calcographiâ JOHANNIS HAKEN.
M. DC. XXX.

689

35

10

1630

10

DISSECTATIO JURIDICA

HEREDITARIIS

QUAE AB INTESTA-

TO DEHERVNTUR

DIVINO ASSISTENTE NUMINE

JOHANNES ADOLPHUS

IN AUSTRIA

SUB PROTECTORIO

VIRI

JOHANNIS B. CASPARI

DR. JOHANNES ADOLPHUS

IN AUSTRIA

PROTECTORIO

JOHANNIS B. CASPARI

JOHANNES ADOLPHUS


IN AUSTRIA

PROTECTORIO

Ex Bibliotheca Johannis Hartmanni

M. DC. LXX.





690

PRO O E M I U M.



Mter reliquas Juris Romani partes mirâ perplexitate famigerabiles, vix imò locò contenta est materies illa, quæ jura successionum ab intestato pertractat. Etsi enim, Reipublicæ Romanæ primis fundamentis operâ Romuli positis, angusta hujus juris primordia parum scrupulositatis fovebant; neminem tamen antiquitatis Romanæ adeo ignarum esse existimo, quin perspectum habeat, quantum successu temporum & augeſcente Republicâ jus illud succreverit, quotve mutationes, ex lege Decemviri, edictis Magistratus honorarii, SCtis & Constitutionibus Principum introductas usque ad Justiniani Imperatoris sacratissimi tempora, perpeſsum fuerit. Is enim demum *anno Christi 543 imperii autem sui 17. si Forſtero in tract. de heredit. que ab intestato defer.* credimus, in autum illud variisque labyrinthis intricatum opus subiit, ejusque materiam planè confusam in luculentam consonantiam erexit, & propius ad suam originem & jus naturæ cœlesti favore reduxit. Quæ juris materia dein ex eo difficilior redditur, quod attestante *Hilliger in Donell. tom. 1. l. 9. c. 1. lit. a.* cuivis ferme genti successionis modi proprii & pleraq; municipia suis hac in re statutis utuntur. Iccirco, quia in difficilioribus majorem diligentiam operam locare attinet, id mihi hæc vic negotii dari puto, ut præcipua & magis necessaria, quantum tenuitate ingenii assequi possum, ex utilissima hac materia eruam & delibem.

A 2

I. Here-

I.

Hereditas ab hero sic dicta § fin. instit. de hered. qual. & differ. l. 11. § 6. ff. ad L. Aquil. Borcholt in instit. ad tit. de hered. qua ab intestat. defer. in fusiore significato significat ipsas res hereditarias Senec. lib. 6. de benefic. c. 5. Strictius jus in iis rebus constitutum & defunctum representans l. 20. ff. de petit. hered. § incorporales instit. de reb. corp. & incorp. Vultei in disceptationib. Schol. c. 20. Estq. successio in univ. jus quod defunctus habuit. l. 24. de verb. Signif. l. 62. ff. de R. 1.

II. Dividitur in Testamentariam & Legitimam l. 3. § 2. ff. pro Soc. l. 6. § 2. qua in fraud. Cred. l. obvenire ff. de verb. Signif. § fin. instit. per quas pers. nob. adquir. Illa est successio quæ expressa voluntate testatoris heredi instituto competit, hæc, quæ certis personis absque hominis facto à lege defertur. Schneiduv. in instit. ad tit. de testam. ordinand. in pr. & propriè legitima dicitur, l. 3. § de illa ff. pro Soc. locum habens, quando aliquis omnino non fecit testamētum, aut fecit quidem, sed non jure, aut id quod fecerat ruptum irritumve factum est, aut ex eo nemo heres extitit instit. de heredit. qua ab intest. defer. in pr. & Ulp. l. 1. de suis & legit. lib. quod ad furiosos & pupillos minimè extendendum est. d. l. 1. de suis & legit. cum omnimodo sint intestabiles, privatio autem præsupponat habitum Myns. ad pr. tit. Instit. de hered. qua ab intest. defer. idque notari jubent Dd. propter statuta de intestatis loquentia, quibus furiosi & pupilli minimè comprehenduntur. Tertium genus successionis, quod secundum quosdam contra testamentum fieri dicitur, non adgnosimus, cum quo.
ad ori.

ad originem ad causam testati, quoad effectum verò ad
causam intestati optimè possit referri, ut pluribus ad hanc
rem iuribus alleg. deducit *Forster. d. tr. l. 1. c. 9. & 10. Eras-*
mus Unger. Exercit. Justin. 9. quest. 1.

III. Et ut ad rem propius accedam, ab ipsa juris huius
origine initium faciam, quod primitus introductum est
à jure gent. Ratio enim naturalis quasi lex quaedam ta-
cita liberis hereditatem addicit veluti ad debitam succes-
sionem vocando, propter quod & in jure civili suorum
heredum nomen eis inditum est, ac ne iudicio quidem
parentis nisi meritis de causis ab ea successione excludi
possunt. *l. cum ratio ff. de bon. damnat. fac. l. 7. in fin. ff. unde lib.*
l. 11. in pr. ff. de in offic. testam. Hinc nulla unquam tam
barbara tam inculta fuit gens, quæ jus hereditarium i-
gnoraret, & propinquorum bona ad proximum transfer-
ri debere non adgnosceret. *Forster. in Epl. dedic. tractatui*
de hered. ab intestat. præfixa. Quod jus gentium postea
approbatum & informatum est à jure civili. Utrumq;
jus Hilliger. in *Donell. tom. 1. lib. 9. c. lit. a.* eleganter com-
prehendit his verbis: Quod succedatur propinquus, ex ju-
re naturæ est, ex communi hominum affectu & propensi-
ore erga cognatos quàm exteros quem natura ingeneravit
amore, sed modo succedendi, determinatio & definitio à
Legumlatoribus est. Hi Legumlatores, ut in reliquis, ita
hoc quoque in casu neque in totum à jure civili recedere
nec per omnia ei servire, sed juri communi, ut utilitas
Reipublicæ postulabat, interdum aliquid addere inter-
dum aliquid detrahare voluerunt. *l. 6. ff. de Just. & Jur.* In-
de Romani peculiarem certamque successionis formam
quamvis multoties mutatam acceperunt.

IV. In prima enim populi Romani ætate, cum adhuc
sub Regum imperio circa ipsam matrem suam dimicans

A 3

circum-

circummurana perferret bella Schönbornner polit. lib. 4.
c. 4. ex lege Romuli primi Romanorum Regis mulier
marito, si improles decederet, ex asse, si superessent li-
beri, viritum cum illis succedebat, & vicissim vir uxoris
bona peculii quodam jure occupabat, Hilliger in Donell,
tom. 1. lib. 9. c. 1. l. K. Succedebant quoq; tum aequaliter li-
beri nullo habito discrimine sexus, Forster in Epl. dedic.
tract. praell.

V. Sed cum populo Romanus adolescens jam, ob impor-
tunam Tarquini superbi dominationem & stuprum
Lucretiae castissimae foeminae a filio immisum, Reges eje-
cisset, legibus 12. tab. latis, alius modus succedendi in-
troductus est, & constitutum ut omnes omnimodo ab
intestato vita functis succedentes duabus includerentur
classibus l. Si quis posthumus, § Sed. et si heres de lib. & posthum.
l. 10. ff. de verb. signific.

VI. Prima classis erat descendentiū quorundam, *Suo-
rum* videlicet, quā appellatione denominabantur in po-
testate defuncti tempore mortis existentes § 2. instit. de he-
red. quae ab intestat. defer. § 2. de hered. qual. & differ. non o-
mnes, sed primarias partes in gradu occupantes d. § 2.
vers. ita demum.

VII. In potestate autem patria, quae suvitatis basis ac fun-
damentum est, sunt primū Liberi naturales & legitimi
simul. Instit. de patr. potest. in pr. Secundō legitimi tan-
tū vel adoptivi instit. in pr. de adopt. l. 5. C. de suis & legit. l. b.
l. 10. § Sed si quisdem in fin. C. de adopt. Tertio Posthumi,
qui si vivo parente nati in potestate ejus futuri fuissent.
d. § 2. fac. l. 6. § 7. ff. de suis & legit. hered. l. 7. § l. 27 ff. de stat.
hom. Quarto ex concubinis suscepti, legitimated tamen
vel per subsequens matrimonium, vel per oblationem
curiae, vel per rescriptum Principis. Novell. Quib. mod.
natur.

692
natur. effie. sui l. 5. C. de natur. § 2. instit. de hered. quæ ab inte-
stat. deferuntur. Quinto denique mulier quæ in manum
viri convenit tanquam filia in potestate ejus existit *Ulp.*
Epit. instit. tit. 22. Tribus enim modis, uti ex *Serv. lib. 1.*
Georgio. & ex *Boet. in top.* refert *Forster. lib. 9. c. 1. n. 2.* nuptiæ
apud veteres Romanos celebrabantur: Usu, Farre, coem-
ptione. Usu, si verbi gratia mulier anno uno cum viro
licet sine legibus fuisset; Farre cum per Pontificem ma-
ximum & Dialém Flaminem per fruges & molam saf-
sam conjungebantur, unde Confarreatio appellabatur.
Coemptione verò atque in manum conventionem, cum
illa in filia locum, maritus in partis veniebat, ut si quis
fuisset defunctus, locum hereditatis justum alteri face-
ret. Hi itaque omnes vigore Patriæ potestatis sui here-
des sunt, eorumve in successione prima causa est.

VIII. Secunda classis erat Adgnatorum, Adgnati sunt co-
gnati per virilis sexus personas cognatione conjuncti *in-*
stit. de legit. adgn. success. in pr. die eines Nahmens Schild
vnd Helms sein Schneidewv, add. tit. in pr. n. 4. Circa horum
successionem quatuor potissimum jura annotanda. Primum
est *Lex, 12. tab.* quæ omnes adgnati tam masculi quam foe-
minæ sine ullo sexus discrimine succedebant *§ § hac qui-*
dem instit. de legit. Adgn. success. l. 14. in pr. C. de legit. hered.
Secundum *Lex Viconia* quam per mediam Jurispruden-
tiam intelligit Imperator *in § Cæterum instit. de legit. adgn.*
success. Eà lege Posteritas sexus introducens differenti-
am, foeminas ultro consanguineas successiones ad adgna-
torum transversalium hereditatem non admittebat *§*
Cæterum. Ex iis forte rationibus, quas adducit *Barcholt*
in § praall. ne foeminae ditescerent, & elata se viris æqua-
rent vel ne bona à familia, cujus finis est foemina, exi-
rent. Et ex hoc jure sine dubio pullulant statuta adhuc

in

in quibusdam præsertim Italiæ locis vigentia, quibus, existentibus masculis, à successione excluduntur fœminæ. Quæ statuta, quia utilitatem Reipublicæ spectant, minus improbanda, præsertim cū & juris divini auctoritate nitantur. *Numer. 27.* Tertium est *jus Honorarium*. Prætor enim personas per mediam jurisprudentiam exclusas post adgnatos masculos vocavit ad bonorum possessionem *Unde cognati d. § Cæterum de legit adgn success.* Quartū demū & novissimum Jus circa hanc successionis speciem introduxit Justinianus *in l. penult. § ult. C. de legit. her.* Ubi sancitum est: omnes legitimas personas sive masculini sive fœminini generis sint, simili modo ad jura legitimæ successionis ab intestato vocari secundum gradus sui prærogativam.

IX. Neque *suis* neque reliquis *adgnatis* existentibus ad bona defunctorum jure civili antiquo fisco patebat aditus, & excludebantur à successione omnes cognati; Sed Prætor juris civilis duritiem exosus ex æquitate, quam aliàs ob oculos habere debet. *l. si Ephesi 4. ff. de pec. const.* jus sanguinis potius, quam inventitium suorū discrimen respexit, & primum emancipatis liberis qui & suiritatis & adgnationis jure per minimam capitis deminutionē privabantur *§ minima instit. de cap. demin. § fin. inst. de legit. adgn. success.* bonorum possessionem dedit *unde liberi*, per quam una cum *suis* ad successionem defuncti admittebantur.

X. Reliquos autem cognatos omnes, adgnatis, etiam si longissimo essent gradu, Prætor postposuit & ultimò locò ex miseratione ad bona defunctorum per bonorū possessionem *unde Cognati* eos admisit. Itaque cum deterioris essent conditionis, Scitum Orphitiannum introductum est, cujus beneficio descendentes primi gradus
matri

693
matri succedebant *instit. De Scro Orphit. Sed Valentin.*
Theodos. & Arcad. Impp. plenius descendentes cognatis
prospicientes constitutionem ediderunt quæ extat in
C. Theodos. lib. 5. tit. de legit. hered. cuius vigore cognati li-
neæ descendentes cum avunculis & materteris avo ma-
terno item avia tam paternæ quam maternæ succedere
poterant, cum trientis deminutione ejus partis, quam
mater vel avia eorum, si supervixisset, habitura fuisset.
Si verò non descendentes sed transversales adgnati so-
lummodo essent superstites, descendentes cognati cum
his concurrentes, quadrantem substantiæ defuncti ad-
gnatis iis applicandum amittebant. Quæ omnia elegan-
ter per exempla declarat. *Borcholt. in § sed ea omnia & seqq*
instit. de hered. que ab intestat. defer. Tandem Imperator
Justinianus adgnationis & cognationis discrimine pe-
nitus sublato inter adgnatos & cognatos jus succedendi
æquale introduxit. *l. fin. C. de suis & legit. idemq; novissi-*
mè repetiit in Novell. 118. c. 4.

XI. Ex linea ascendenti primùm Claudius Imperator
matrem à *L. 12. tabul.* penitus exclusam à Prætoꝛe autem
reliquis cognatis adnumeratam, etiam adgnatis existen-
tibus ad successionem liberorum in acie amissorum, ut
inde aliquid solatii caperet, vocavit. *Sveton. in vita*
Claudii c. 19. & Justin. in instit. ad Scrum Tertyll. Postea Sc-
tum Tertyllianum Tertyllo & Maximo Consulibus in-
troducendum, quod omnes omnimodo matres, ingenuas
quidem, si ter, libertinas si quater enixæ fuerint, ad suc-
cessionem filiorum filiarumve, sine liberis, patre, fratre
consanguineo denatorum admittit. *§ 2. & seqq. instit. ad*
Scrum Tertyll. Qui succedendi modo à Constantino Imp.
ita limitatus est ut matri liberos habenti tercia pars, sine
liberis existenti duæ partes hereditatis ademptæ defuncti

B

patruo

patrio ejusque filiis adicerentur. *C. Theodos. lib. 5. tit. id*
cum indignum visum fuerit Justiniano, ipse, ut in mul-
tis, ita hoc quoq; in casu foeminino sexui plenius prospici-
ens, matrem indistinctè, non habito respectu ad nume-
rum liberorum, ad successionem defuncti filii filiaeve ad-
misit absque ulla deminutione, hac cum limitatione, ut
si quidem sorores solæ, sive adgnatæ sive cognatæ essent,
tunc mater unam dimidiam, alteram omnes sorores ac-
ciperent: Sin vero superessent fratres tantum, vel una
cum sororibus, hereditas in capita distribueretur. *l. 2. C. de*
jur. liber. § 5. instit. de SCto Tertyll.

XII. Post suos heredes eosq; quos inter suos Prætor &
constitutiones numerant, & post legitimos, quo nume-
ro sunt adgnati, & hi qui inter adgnatos referuntur, co-
gnati adhuc superstites proximitatis nomine ex benefi-
cio Prætoris hereditatis relictæ participes fiunt, *Instit. de*
cognat. success. Et hoc de successione secundum jus anti-
quum dixisse sufficiat. Nunc, quoniam modus succeden-
di jure novissimò sive Justinianeo introductus sit, mearum
partium est expeditum reddere.

XIII. Imperator igitur Justinianus, jure antiquo, per
quod non justè differentia inter adgnatos & cognatos i-
temq; inter suos & emancipatos introducta erat, remotò,
omnes heredes ab intestato clarâ compendiosaq; viâ in
tres ordines distribuit: Primus est Descendentium, se-
cundus Ascendentium, Tertius Collateralium *Proem.*
Novell. 118.

XIV. Descendentium, quorum appellatio ad liberos
in infinitum pertinet, *l. 220. ff. de verb. signific. l. fin. C. de*
suis & legit. in successione defunctorum prima causa
est. *l. 7 § fin. ff. unde lib. auth in successione. C. de suis &*
legit. Ita tamen, ut ob diversitatem originis alii
plus,

694
plus, alii minus juris in hereditate obtineant. Omnes enim descendentes ortum trahunt, vel ex conjunctione à lege approbata & permiffa, quibus proxime accedunt ii, qui fictione legis filii sunt, vel ex conjunctione à lege quidem permiffa sed non approbata, vel denique ex conjunctione à lege nec approbata nec permiffa. Hinc juxta Dd. liberi sunt naturales & legitimi simul, legitimi tantum, naturales tantum, incestuosi, adulterini & nefarii, de quorum omnium successione ordine videbimus.

XV. Liberi naturales & legitimi simul, id est ex legitima conjunctione procreati, primo gradu inter se, æqualiter sive in capita succedunt, nepotes verò inter se, vel cū patris vel amitis, avunculis & materteris jure representationis in stirpes. *l. 2-3. de suis & legit. Novel. 118. c. 1.* Quod etiam evidenter *lege. 12. tab. cavetur & juris honorarii observatio sequitur. d. l. 3. in fin. § 6. instit. de hered. quæ ab intest. defer.* non distinguendo sexum vel jura potestatis, sed solà naturali causa inspecta *auth. in success. C. de legit. lib.*

XVI. Jure Saxonico differentia sexus etiamnum in quibusdam casibus attenditur, veluti in VVergeldo sive pecunia composititia in dem *Sühn-oder ManGelde/ per gl. ordinari. Landr. lib. 2. artic. 16. n. 4. sub fin.* in rebus expeditoriis in dem *Dergewett. Landr. artic. 27. & in utensilibus in der Gerad. d. artic. 27. in pr.* in prioribus duobus casibus prærogativam habent adgnati die nächsten Schwerdtmagen/in ultimo cognatæ proximæ die nächsten Spielmagen *per jur. præalleg.*

XVII. Quod ad jus representationis attinet, jus Saxonicum cum jure communi concordat. *Landr. lib. 1. artic. 25. Schneidvv. de prim. ord. succed. concl. 2. n. 12.* neque id solum locum habet in nepotibus & pronepotibus sed etiã in aliis descendentibus in infinitum, sive sint in gradu

æquali sive inæquali, sive unò sive pluribus gradibus distent. *Novell. 118. c. 1.* in verbis *in hoc enim ordine gradū queri nolumus.* Quod non sine ratione introductum est, cum jus illud repræsentationis propter continuationem sanguinis ab ipsa natura dependeat, & à jure Divino approbatum sit *Genes. 19.* unde propter naturalem æquitatem non solum in successione civili sed etiam feudali locum habet. *Tit. 50. lib. 2. feud. de nat. success. feud.* In eo verò jus Saxonicum à jure communi quam longissimè recedit, quod una cum liberis parentem superstitem ad successionem defuncti admittit. Nam jure Saxonum Vir uxori suæ defunctæ etiam liberis existentibus in omnibus bonis mobilibus succedit, utensilibus exceptis *Landr. artic. 13. lib. 1. & artic. 76. lib. 3.* & vicissim uxor quartam partem bonorum defuncti mariti, descendantibus non obstantibus jure hereditatis consequitur. *Novell. August. p. 3. constit. 20.*

XIIX. Liberi autem legitimi tantum sive adoptivi conditionis sunt duplicis: aut enim sunt adoptivi in specie aut adrogati *§ 1. instit. de adopt. ii.* si adoptantur ab extraneo, patri adoptivo ab intestato succedunt. *§ 2. instit. de adopt. § 14. Instit. de heredit. quæ ab intest. defer.* in tantum ut etiam propter jus Sui-tatis adoptione acquisitum parentes ejus excludant, *l. 1. C. de suis & legit* Contra testamentum autem in quo exclusi vel præteriti sunt, querelam inofficiosi movendi licentiam non habent. *l. 10. § l. 1. C. de adopt.* Si verò nō ab extraneo sed ab ascendente, puta avo paterno vel materno, adoptati fuerint, propter duplex vinculum & legis & naturæ in potestatem patris adoptivi transeuntes, ei tam ex testamento quam ab intestato succedunt, quamvis in hereditate patris naturalis nihil juris obtineant. *d. l. 10. in pr. vers. si vero.* Similiter Adrogati

695
gati patri adroganti succedunt, & si injustè exheredati
vel emancipati fuerint, quartam partem omnium bono-
rum, quæ Adrogator tempore mortis possedit, præter
bona propria per conditionem ex l. Divi Pii conse-
quuntur.

XIX. De liberorum ex conjugio inæquali susceptorum
successione in *Novell. 89. c. 12.* illud constitutum est, ut
patri naturali, neque legitimis liberis aut conjuge re-
lictis in duabus unciiis eorumve mater succederent
prædictis verò existentibus à successione patris sui natu-
ralis excluderentur. *d. Novell. 89. c. 12. § 6.*

XX. Fallunt tamen prædicta primò in successione ma-
tris cui liberi naturales vel soli vel cum legitimis plenif-
sime succedunt *l. 8. in fin. C. ad SCtum Orphitt l. 2. ff. unde
Cogn. § 3. instit. de SCto Orph. idemq; apud Saxones in obser-
vantia tx. enim Landr. artic. 38. & 51. communi-
ter Interpp. ita limitant, ut quicquid ibi profertur con-
cernat liberos ex damnato coitu susceptos. Schneidvv.
de success. lib. natur. n. 14. Beust. tr. de dot. Quæst. 4. Secundo in
legitimatibus vel per subsequens matrimonium, vel per
rescriptum Principis. *Novell. quib. mod. natur. effic. sui c.
8. & 9. vel per oblationem Curia, qui soli patri non etiam
reliquis ascendentibus succedunt.**

XXI. Est & aliud genus Naturalium videlicet spurii
seu liberi ex publicis scortis suscepti, qui propter in-
certitudinem Patris ad hereditatem ascendentium in li-
nea paterna nullò modò adspirare possunt *§ novissimè ad
SCtum Orph. l. si spurius & l. hac parte ff. unde Cogn.* Etiam si
maris testatrix aut intestato defunctæ hereditatem o-
mni jure capiant, *§ sed vulgo ff. ad SCtum Tertyll. & d. l. hac
parte ff. unde cogn. nisi mater fuerit illustris & ex legitimâ
conjunctione liberos habeat superstites. l. 5. C. de SCto Or-
phit.*

B 3

XII. Ulti-

XXII. Ultimo deniq; de liberis ex damnato coitu procreatis, uti sunt incestuosi, nefarii & adulterini, hoc tenendum, legibus eos esse adeo execrabiles, ut omnium ascendentium tam paternæ quam maternæ linæ indigni habeantur. *Novell. 89. C. ult. auct. licet C. de natur. lib. imo alimenta jus civile iis detrahit. auct. ex complexu C. de incest. & inutilib. nupt. d. § fin. quib. mod. nat. eff. sui.* Hodie tamen disposito juris Canonici prædictis alimenta decernens c. cum haberet de eo qui dux. in ux. i. quam poll. per adult. ex communi Dd. opinione tam in terris Ecclesiæ quam imperii magis attendi debet, idq; etiam in Camera teste *Gail observatum obser. 88. n. 4. part. 2.*

XXIII. Cessante linea Descendentium ad successionem vocantur ascendentes *auct. defuncto C. ad SCtum Tertyll. Novell. 118. c. 2.* Quorum tot sunt species quot descendentium ex natura Correlatorum. A parentibus igitur naturalibus & legitimis simul ut præstantioribus initium faciens, jus illorum, quoad causam successionis, duabus brevissimis regulis includo. Aut enim primò defunctus relinquit solos ascendentes, & tunc, si pari gradu sunt, pariter succedunt, paternis quidem dimidiâ maternis alia dimidiâ, sine ulla bonorum distinctione, de latâ, licet impar sit eorum numerus, disparitate autem graduum occurrente proximior remotiorem excludit. *Novell. 118. c. 2.* Secundò aut defunctus una cum ascendentibus relinquit fratres & sorores utrinq; conjunctos *Bruder oder Schwester von voller Geburt/* aut horum filios filiasve, & tunc hi una cum ascendentibus ad bona defuncti admittuntur, fratres quidem & sorores æqualiter, fratrum autem sororumve filii filiaeve in stirpes. *novell. 118. c. 2. auct. defuncto C. ad SCtum Tertyll.*

XXIV. Ju-

696
XXIV. Jure Saxonico antiquo pater solus succedit liberis defunctis exclusâ matre *lib. 1. artic. 17.* quod tamen novissime ab Aug. Elect. correctum est *Novell. p. 3. Constit. 17.* Collaterales autem de jure Saxonico per ascendentes penitus excluduntur *Landr. l. 1. d. artic. 17. Schneidvv. de success. parent. natur. & legit. n. 10.*

XXV. Quod ad parentes legitimos attinet, patri adoptivo extraneo, jura successionis, patri naturali reservata, *l. 10. C. de adopt.* non competunt: sed avo adoptanti *d. l. 10. vers. si vero,* itemque Adrogatori concessa sunt, nisi adrogatus intra pubertatem decesserit, eo enim casu bona restituantur iis, qui, si adrogatio facta non esset, ad successionem venturi fuissent, *§ 3. instit. de adopt.*

XXVI. Eadem mensura sicut parentes prospiciunt naturalibus filiis, & ipsi parentibus compensent, sive in successibus sive in alimentis *novell. Quib. mod. natur. eff. suic. 13.* ideoque pater filio naturali sine liberis & conjugate legitimis defuncto, in duabus succedit unciis. *argum. § 4. 12. novell. præall. Mater autem sola superstes fit capax totius assis. § fin. ad SCtum Tertyll. l. Si spurius ff. unde cogn. cum patre concurrentis, illi duabus unciis relictis, in decem succedit, sin verò fratres naturales cum utroque parente concurrant, pater quidem duas, mater autem cum reliquis fratribus reliquas uncias in capita dividendas jure hereditatis sibi vindicat, Schneidvv. post, Salyc. de success. parent. natur.*

XXVII. Ex eodem fundamento & natura correlatorum patrem à successione filii spurii penitus arcendo, matrem admittunt, non secus, ac si ex legitimo conjugio sobolem ejusmodi procreasset. *§ vulgo quæsitos. instit. de success. cogn. & § fin. ad SCtum Tertyll.*

XXVIII. Mul.

XXVIII. Multo minus parentes utriusq; sexus ex incestuorum nefariorum & adulterinorū Incessione aliquid lucri sperare possunt, cum illos ut indignos leges in totum rejiciant. *auth ex Complexu. C. de incest. nupt. c. fin. Novell. Quibus mod. natur. efficit sui.*

XXIX. Linea, quam ultimò loco tractandam suscepti est Transversalium. In ea primum locum occupant fratres & sorores utrinq; conjuncti vollbürtige Brüdere vnd Schwester & jure repræsentationis horum filii filiave, qui, quando cum patris concurrunt, in stirpes, quando soli supersunt in capita hereditatem dividunt. *Novell. 118. c. 3.* Quod etiam approbavit Carol. V. Imper. Constitutione sua, quæ habetur in desz Reichs Abschied zu Speir an. 529. sub tit. Keyserliche Constitution vnd Satzung/wie Brüder vnd Schwester Kinder ihres Vatters Bruders oder Schwester verlassen Erbschafft vnter sich theilen sollen. Prædictis non existentibus veniunt fratres sive consanguinei sive uterini tantum. Die gezweyete Brüdere vnd

Schwestern aliàs Stiefbüchlichen *d. novell. 118. c. 3.* His omnibus defunctis demum patruo & consequenter reliquis transversalibus secundum gradus prærogativã ad hereditatem defuncti patet aditus *novell. præall. adgnatis quidem in infinitum, cognatis usq; ad gradum septimum Sult. inst. de cogn. success.*

XXX. In hac linea collateralis jus Saxonicum in tribus potissimum casibus à jure communi facit divortium. Primò inter Collaterales jus repræsentationis non admittit per regulam Landr. *artic. 3. l. 1.* Je näher den Sip/je näher den Erbe. Hinc sequitur prædefunctorum fratrum filios una cum patris suis ad successionem defuncti non esse admittendos, cum sint in gradu remotiori, &

ex

697
ex eodem fundamento etiam germanorum filii & defuncti patruus eundem videlicet tertium gradum occupantes ad hereditatem simul vocarentur nisi *Constit. novell. August. 18. § Stürbe den ein Mann p 3* defuncti patrum excluderet. *Secundò* fratres & sorores ex uno latere conjunctos facit transire in gradum remotiorem. *lib. 1. artic. 3.* Verùm eo non obstante ex præallegata *Constitut. § Würde ein Mann* frater ex uno latere conjunctus, defuncti patrum utrinq; conjunctum, licet eundem gradum obtineat, excludit, quod tamen ad fratrum ex uno latere conjunctorum filios non extenditur, hi enim à patre utrinq; conjuncto ut gradu remotiores excluduntur *d. novell. § des Vaters* *Tertiò* differentiam sexus introducit, adgnatis res expeditorias & emendam, cognatis utensilia adjudicando.

XXXI. Collateralium adoptivorum, sive imperiò Magistratus, sive rescriptò Principis adoptio celebrata fuerit, nulla est successio, exceptis iis qui jura successionis ab ascendente habent, *l. pen. vers. § ideo sancimus. C. de adopt. § 14. instit. de heredit. que ab intest. defer.*

XXXI. Nec quicumque juris in successione obtinent naturales & spurii per lineam paternam conjuncti, nisi per subsequens matrimonium legitimati fuerint *novell. 89. c. 9.* ab eadem autem matre Concubina puta vel scorto ortum trahentes non solum inter sese sed etiam cum legitimis ad successionem defuncti Collateralis admittuntur *l. 4. ff. unde Cogn. § 4. instit. de success. Cogn. incestuosi, adulterini & nefarii deterioris sunt conditionis cum ab utraque linea removeantur. Novell. 64. c. ult. novell. 89. c. ult. auth. ex complexu C. de incest. § inuicil. nupt.*

XXXIII. Quotiens descendentium, ascendentium & transversalium deficit successio, succedunt sibi invicem

C

vir

vir & uxor. Quem succedendi modum prætor primū
introduxit respectu ejus mulieris, quæ secundum jus an-
tiquum usu & consuetudine uxor erat, cū ea, quæ in ma-
num viri convenerat, ex *l. 12. tab.* ad hereditatem mariti
vocaretur, & ob id extraordinario prætoris beneficio nō
opus haberet. Sed *Theodos. & Valentin. Impp.* veteri muli-
erum differentiā antiquatā omnibꝫ uxoribus jus successi-
onis in bonis mariti tribuere si alios ab intestato heredes
non reliquisset. *l. unic. C. unde Vir & Ux.*

XXXIV. Post hos Imperator Justinianus novella lege
constituit, ut indotata atque inopiā laborans mulier, li-
beris communibus tribus aut paucioribus extantibus,
quartam, cum pluribus virilem portionem ex bonis de-
functi mariti acciperet, habitura usumfructum istius
quartæ vel portionis, proprietate reservatā descendentibus;
Concurrens autem cum liberis prioris matrimonii
in totum capax fieret istius portionis *novell. 117. c. 5. auth.*
præterea C. unde vir & uxor.

XXXV. Quæ jurium dispositio etiam locum habet in
nepotibus & avia *d. auth. præterea* ibi liberis communi-
bus; quorum appellatio ad descendentes in infinitum
pertinet, *l. 220. de verb. signific.*

XXXVI. Nec non in sponsa de præsentī, uti commu-
niter statuunt *Interpp. in l. 1. C. unde vir & uxor* tum, quod
illa pro uxore habeatur *l. 15. ff. de condit. & demonstrat.* tum
quod consensu non cocubitu matrimonium contraha-
tur *d. l. 15. in fin. l. 3. de reg. jur.* pro quo etiam facit *tx. in l.*
fin. C. ad L. Jul. de adulter. & l. 3. § 1. ff. de donat. inter vir &
uxor. non autem in sponsa de futuro, quia ibi nullum ma-
trimonium *Bald. in l. 1. C. unde vir & uxor* nec in con-
cubina; quia hoc privilegium justum matrimo-
nium contrahentibus tantū conceditur *d. novell.*
117. c. 5.

XXXVII. Et

XXXVII. Et quamvis constitutio *d. auth. Præterea* Indotatæ mulieris tantum mentionem faciat; tamen propter identitatem rationis, ne videlicet uxor inopiâ pressâ stipem colligere cogatur, ad eam quæ per exiguam dotem habet, quoque exrenditur.

XXXVIII. In tantum, ut si minus quarta parte uxori in testamento mariti relictum esset, illa nihilominus contra voluntatem testatoris ad supplementum istius quartæ agere posset, utpote quæ illi non ex voluntate mariti, sed jussu legis defertur. *§ quia vero legem auth. ut liceat matri & avia* & ad similitudinem quartæ, quam uxor propter expulsionem & repudium sine justa causa factum etiam invito viro tollit. *l. fin. C. de repud. debetur. Novell. 117. c. 5. in pr.*

XXXIX. Vigore juris Saxonici, nisi pactis dotalibus aliud constitutum fuerit, Vir mulieri in omnibus bonis mobilibus succedit. *Landr. l. 1. artic. 31.* tam utensilibus quam legitimâ, si forte nulla bona immobilia relictâ fuerint, liberis & parentibus debitâ, detractis. *Secundum gl. lat. ad tx. Germ. Landr. artic. 27. lit. e.* Reliqua immobilia pertinent ad proximos defunctæ heredes. *Landr. lib. d. artic. 31.* Ex quibus tamen maritus inops, bonis mobilibus non relictis secundum dispositionem *auth. præterea C. unde vir & ux.* quartam consequitur. Quæ autem sint bona mobilia vel immobilia colligitur ex *Constit. August. 21. 22. 23. 24. & 25. p. 3.*

LX. Vicissim uxor cum liberis tam communibus quam prioris matrimonii concurrens, non attento an dives vel inops sit, ex bonis mariti, ære alieno detractis, quartam tollit. *novell. August. p. 3. Constit. 20. vers. wo aber diese dinge* Nullis autem liberis relictis tertiam hereditatis partem certis conditionibus aufert. *d. Constit. 20. vers.*

Sies aber.

C 2

COROL.



COROLLARIA

I.

Concurrentibus fratribus uterinis & consanguineis distinctio bonorum, an ex linea paterna vel materna provenerint, non attenditur.

II.

Legitimus per subsequens matrimonium succedit etiam in feudis.

III.

Adoptati ab ascendente & naturali & adoptivo patri hodie succedunt.

IV.

Nepos ex primogenito quoad jus primogeniturae praefertur patruo suo.

FINIS.



ULB Halle

3


004 961 196



WMA







DISPUTATIO JURIDICA
De
HEREDITATIBUS
QUAE AB IN TESTA-
TO DEFERVNTVR.

689
35
10
1630 10

Quam
DIVINO AUXILIANTE NUMINE

Consensu Amplissimi, & Consultissimi
ICtorum Ordinis

In celeberrima ad Albim Academiã
SUB PRÆSIDIO

VIRI
Clarissimi & Consultissimi

DN. CHRISTIANI KREMBERGII
J.U.D. Juridicæ Facultatis Adessoris & Judicii
Electoralis Curia Advocati dignissimi, Præce-
ptoris ac Promotoris sui perpetim
colendi,

Publico examini subijcit
JOHANNES WETTE Berolinô-March.

Ad diem 18. Martij
In auditorio ICtorum,

WITTEBERGÆ,
Ex Calcographiã JOHANNIS HAKEN.
M. DC. XXX.